

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De principiis naturalibus secundum opinionem recentiorum. Cap. XXVI

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

reis, aqueis & igneis sunt unitæ: ut nulla ipsarum alteram in resolutione possit dimittere: imo quælibet cum quælibet resolvitur propter fortem unionem naturalem quam habuerunt ad invicem, ex nimia subtilitate partium per minima paulative à calore naturali æqualiter in visceribus terræ condensato & digesto secundum debitum cursum naturæ, ad exigentiam illorum essentia. Et hoc secundum opinionem quorundam antiquorum philosophorum.

De principiis naturalibus secundum opinionem recentiorum.

CAP. XXVI.

Alii vero moderniores aliter dixerunt quod illorum principiorum naturalium non fuit argentum vivum, nec sulphur in natura sua, sed alteratum & in terream naturam mutatum. Unde dixerunt, quod principium fuerit aliud quam spiritus foetens & spiritus fugitivus in natura sua. Et ratio qua moti fuerunt maxime, est hæc, quod non invenerunt in mineris argenteis, vel aliorum metallorum aliquid, quod sit argentum vivum in natura sua, nec aliquid quod sit sulphur: imo per se invenerunt unumquodque illorum separatim in propria sua minera, in sua natura & forma.

forma. Et similiter per aliam rationem hoc affirmant, quod non est transitus à contrario in contrarium, nisi per medium dispensativum : Et propterea coguntur confiteri & bene, quod non sit transitus à mollietate argenti vivi ad duritiem alicujus metalli (non mediati) nisi per medium dispensativum, quod est inter molle & durum : Sed in mineris non inveniunt aliquid, in quo salvetur hæc media dispositio: ideo hac ratione coguntur credere argentum vivum & sulphur in natura propria non esse illud principium de intentione naturæ. Imo aliud quod resultat ex essentialium illarum alteratione in radice naturæ, ad terream substantiam, hoc modo : quoniam unumquodque eorum convertitur in terream naturam, deinde ex his ambabus terreis substantiis resolvitur quidam fumus tenuissimus & purissimus, propter calorem temperatum in visceribus terræ, & hic duplex fumus est materia immediata seu principium metalli. Hic fumus, à calore temperato mineræ decoctus & digestus, convertitur in naturam cujusdam terræ, ideoque fixationem quandam suscipit, quam defluens aqua mineralis per viscera terræ & ejus spongiositatem, decurrens abluit, & ejus spongiositatem dissolvit : & ei uniformiter inviscatur & unitur unione naturali, firma & vera. Ideoque dixerunt quod aqua defluens

fluens
tiam
illar
tur
unum
talli
lem
secu
gen
duo
unif
per
ac d
terra
quo
ciat
hi q
non

D

J
i
lib
num
pitu
feni
ben
arse
vero

fluens per meatus terræ invenit substantiam dissolubilem ex substantia terræ, & illam solvit, & uniformiter cum illa unitur quousque talis terra dissoluta & aqua unum fuerint, unione naturali, & ad metallicam convertantur naturam. Et ad talem mixtionem veniunt omnia elementa, secundum debitam proportionem & exigentiam naturalem, & commiscentur hæc duo simul per minima, quousque faciant uniformem mixtionem. Et hæc commixtio per successivam & diuturnam decoctionem ac digestionem caloris naturalis in inineris terræ condensati, inspissatur & induratur, quosque natura suam intentionem perficiat, & fit metallum. Dicimus autem quod hi qui sic opinati sunt, sunt affines veritati, non tamen veritatem concipiunt puram.

Divisio dicendorum de tribus principiis.

CAP. XXVII.

IAM sermone universali & completo de ipsorum metallorum principiis naturalibus determinavimus. Restat igitur ut nunc ponamus uniuscujusque principii capitulum. Cum ergo tria sint, sulphur, arsenicum & argentum vivum, primo ascribemus capitulum de sulphure, secundo de arsenico, tertio de argento vivo. Deinde vero uniuscujusque metallorum, quæ sunt effectus